



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. A quo, & quomodo possit relaxari juramentum promissorium homini
præstium?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

juramentum, reale illud est, ita ut ad hæredes transeat, & si jurans super vivat eum, cui juravit, hæredibus illius solvere teneatur, quod promissit, uti habetur ex l. Si pactum 9. ff. de probat. & ex c. Veritas 14. b. 1. Sicut enim potest se pluribus obligare, ita potest etiam, ex vi juramenti, pluribus esse obligatus, & consequenter etiam successoribus.

§. II.

*Quo, & quomodo possit relaxari
juramentum promissorium homini
præstitum?*

Juramenta homini præstita, si ex parte recipientis juramentum promissorium non sit turpido, nec damnum enorme, aut vis injuste illata juranti restitutionem faciendam imperet, à nemine nisi solo Pontifice, invito eo, cui iuratum est, relaxari possunt. Quia cum per tale iuramentum ius illi, cui iuramentum præstitum est, acquisitum fuerit, consequenter sine iniuria illius auferri hoc illi non potest, nisi à suprema in spiritualibus potestate in causa gravissima, & ob bonum commune, vel ab Ordinatione etiam nonnunquam, si periculum in mora sit, & causa gravissima urgeat. Si tamen ex parte recipientis iuramentum sit turpido, eò quod per vim, dolum, aut metum iniuste incussum extortum illud fuerit, vel sine gravissimo damno & enormi læsione iurantis servari non possit, potest Episcopus vel alii, qui relaxandi iuramenta talia privilegia habent, illud relaxare (quorum nonnunquam etiam

est, in casu dubio declarare, num iuramentum tale obliget) vel petere potest hic, qui iuravit taliter, ut ille ad remittendum iuramentum cogatur, qui tunc piter tale iuramentum extorsit. Si vero penes Episcopum sit, relaxandi iuramenti potestas, & hæc relaxatio tantum petatur pro foro conscientie, tum Episcopus iurantis, iuramentum illud relaxare debet, cuius est vincula conscientie suorum subditorum solvere: sin autem relaxatio talis petatur, ad tollendam omnino etiam in foro externo obligationem, & ad effectum rescindendi omnino contractus v. g. per dolum, vel metum iniustum initi, tum debet ordinariè talis relaxatio fieri ab Episcopo illius, cui iuratum est, quia in tali casu forum Rei, cui iuramentum præstitum est, & qui metum v. g. iniuste incussit, debet sequi Actor, qui petit iuramenti iniquè extorti relaxationem, nisi ille, cui iuratum est, speciali se Episcopo iurantis sponte subiiciat, & sic eius in se iurisdictionem proroget, aut ratione contractus extra Diæcesin initi, aliud luberetur. Seculari tamen Magistratui non facile concedendum, quod directè, & immediatè relaxare iuramenta talia possit, cum iuramentum sit vinculum spirituale, quamvis ob bonum publicum inter Laicos sibi subiectos indirectè hoc nonnunquam possit, remittendo v. g. iuramenti obligationem in vicem illius, cui iuratum est, & hoc remittere debeat.